


LUNÆ DIE 15 M. OCTOBRIS A. 2001

Idibus Octobribus a. MMI

I O 4

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0)2 735.04.08. / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE NOVO INSTITVTO LATINO

- *refert Terentius Tunberg* -

In studiorum universitate Kentukiana linguae litterarumque Latinarum cultui incrementum hoc anno est additum novum memoratique dignum. Hac enim in academia conditum est Institutum Studiis Latinis Provehendis, in quod nemo aditum habebit nisi baccalaureatu aut simili gradu academico potitus qui non solum ultra primam metam academicam progredi sed linguae Latinæ litterisque Latinis operam dare velit præcipuum. Biennium in Instituto durabit curriculum academicum, quod qui perfecerit diplomate magistrali honestabitur institutioneque fruetur, quæ non uno nomine plerisque litterarum classicarum professoribus videbitur singularis. ¶ Nullo enim sermone scholæ et prælectiones in Instituto habebuntur nisi Latino : qui Instituti scholis intererunt opera Latina legent permulta, Latine scribent - immo nullum erit scribendi pensum quin Latine sit absolvendum - Latine continententer loquentur. Ne multa, lingua totius Instituti erit Latina. Quorsum linguae Latinæ usus tam assiduus ? Ut sensum huius linguae atque intellectum imis medullis visceribusque infigant scholares, ut hac peritia et scientia freti et ipsi alios melius docere possint. ¶ Per multis in Academiis, ubi litteræ Latinæ tractantur, nulla quicquam legit opera, nisi quæ scripserunt Romani antiqui, nec quidquam legitur Latinum post Taciti vitam litteris mandatum. At latius patet patrimonium Latinum : locupletiores sunt litteræ Latinæ quam ut nos tam angustis finibus circumscriptos esse patiamur. Penes omnes linguae Latinæ præceptores est thesaurus ingens, quem plerique neglegunt sola rerum Græcarum Romanarumque notitia nimis contenti. Magni quidem sunt momenti opera Virgili, Ovidii, Ciceronis, aliorum, qui classici auctores vocitantur, et omnibus litterarum Latinarum studiosis legenda. At lingua Latina non est una cum imperio Romano exstincta. Hac enim lingua traduntur nobis cultus civilis Europæi, quo inter se iam aliquo modo coniuncti sunt non solum Europæi, verum etiam Americani aliqui homines diversissimis e gentibus oriundi, fundamenta atque monumenta primaria. Latine scripserunt non obscuri, sed clarissimi auctores : Anselmus, Thomas Aquinas, Desiderius Erasmus, Copernicus, alii permulti, qui scientiarum et disciplinarum conditores optimo iure nominantur. Quædam ergo toto de patrimonio Latino dissent Instituti nostri alumni, certioresque fient quibus modis in quamlibet Latine scribentium ætatem aditum habere possint. ¶ Instituti curriculum ex quattuor cursibus academicis sive cyclis acroasium et scholarum constabit, quorum primus in compositione Latina præcipue versabitur, alii non minus ad litterarum studium quam ad Latine scribendi et loquendi artem specta-

bunt. Altero in acroasium cursu monumenta Latinitatis « aureæ » et « argenteæ » (hoc est, opera Latina inde a Ciceronis temporibus usque ad ætatem qua floruit Apuleius condita) præcipue tractabuntur. Tertia in scholarum serie legentur opera Latina cadente imperio Romano necnon medio, quod dicitur, ævo composita. Quartus et ultimus scholarum cyclus ad litteras Latinas spectabit quæ ab ætate litterarum, ut aiunt, renatarum usque ad tempora vel recentissima florebant. De operibus lectis scholarum participes Latine disputabunt, Latinasque commentationes scribent. ¶ Longe aliter atque res multis in Europæ regionibus se habent, desiderantur, expetuntur, queruntur in civitatibus Americae Septentrionalis qui in ludis et gymnasiis, quæ vocantur, linguam Latinam doceant. Nam demonstratum est variis inquisitionibus et demoscopis confirmatumque discipulos curricula studiorum in ludis emensos iamque aditum in studiorum universitates petentes notas in examinibus publicis mereri multo meliores, si linguam Latinam vel primoribus labris attigerint. Itaque omni ope et opere enituntur ludorum rectores ut lingua Latina suis alumnis aliquo modo tradatur. At ubi sunt magistri ? Munera enim docendi in studiorum universitatibus appetunt permulti eorum, quibus est propositum ut litteras Latinas profiteantur. ¶ Id igitur in Instituto nostro non solum agetur ut suppleantur qui in ludis litteras doceant Latinas, verum etiam ut e nostris tamquam cunabulis novus quidam magistrorum proventus efflorescat, qui opera Latina optime legant et intellegant, Latineque scribere et sermocinari sciant. Qui ad doctoratum usque progredi voluerint, sive litterarum classicarum, sive philosophiæ, sive theologiae, sive rerum gestarum scientiæ, sive cuiuslibet disciplinæ, cuius cultoribus prosit scire Latine, studiosi fuerint, hi quoque institutionem Latinam apud nos sibi invenient aptissimam, biennioque in Instituti scholis consumpto scientia linguae Latinæ confirmati ad aliam Academiam se confrent ubi viam ad gradum doctoris ingrediantur.

¶ Aditum in Institutum petere meditantes scribant oportet aut ad Terentium Tunberg professorem, cuius est hæc inscriptio cursualis electronica : terentius_us@yahoo.com aut ad Alanum Scaife professorem, hac inscriptione : scaife@pop.uky.edu Lectu quoque dignæ sunt hæ paginæ (Anglice iussu Academiæ rectorum conscriptæ) : <http://www.uky.edu/AS/Classics/mabrief.html> <http://www.rgs.uky.edu/gs/gsprospect.html> <http://www.uky.edu/AS/Classics/institute.html>

DE BALNEIS ET THERMIS ROMANORVM ANTIQVORVM

- *scripsit Ericus Palmén* -

Aestate¹ imperatorum cives Romanos balneandi studiosissimos fuisse constat. Hoc sibi facile persuadet, quicumque e.g. in Cenam Trimalchionis a Petronio descriptam incubuerit. Iam in initio narrationis Encolpius cum comitibus suis in balneum intrat, ibique illi « sudore calfacti momento temporis ad frigidam » exeunt (28,1) ac velut « principium cenæ » (27,4) ipsum Trimalchionem aspiciunt, qui, ut quam « lautissimus homo » (26,9) exsistat, « unguento perfusus » tergetur « non linteis, sed palliis ex lana mollissima factis » (28,2) ac paulo post « lecticæ impositus » aufertur « præcedentibus phaleratis cursoribus quattuor » (28,4). Deinde, cum iidem in triclinium Trimalchionis ingressi cenæ intersunt, qua magis opipara vix fingi potest, unus e convivis eius, nomine Seleucus, repente excipit « fabulæ partem et : 'Ego', inquit, 'non cotidie lavor !' »; atque ceteris videlicet ad tam miram vocem stupentibus ita pergit : « 'baliscus enim fullo est, aqua dentes habet, et cor nostrum cotidie liquescit' » (42,1-2).

Neque tamen hinc concludere nobis licet universos Romanos illa ætate cotidie lavari solitos esse. Opulentissimis tantummodo ita agendi erat facultas ; pauperiores, ut vitam sustinerent, singulis diebus tot horas pecuniæ merendæ causa laborare debebant, ut tempus ad cotidianam balneationem deficeret.

Trimalchio et convivæ eius erant liberti, qui ineunte

ætate imperatorum et opibus et dignitate valde creverant, idcircoque multi eorum tanta superbia erant elati, ut doctrinam et sapientiam sibi pari passu cum dvitias auctas esse confiderent. Quo longius cena continuatur, eo absurdiores et insaniores fiunt sermones eorum, et cum præterita media nocte iam antelucanæ horæ adsunt, dominus ipse eis exclamat (72,3) : « Coniciamus nos in balneum, meo periculo ; non pænitentia ! » Plerique convivarum - nonnulli quidem inviti - in voluntatem eius perducti cum omnibus vestimentis in piscinam decidunt, unde paulo post trementes et latranti canis exterriti ab atriensi extrahuntur et servantur. Encolpius et comites ab eodem atriensi petentes, ut extra ianuam emittantur, repulsam ferunt : neminem convivarum per eandem ianuam, qua intraverit, emitte posse. Ita velut novi generis labyrintho inclusi in balneum intrant, « angustum scilicet et cisternæ frigidariæ simile » (73,2), ubi Trimalchio ipse primum rectus stat, deinde considit et « invitatus balnei sono » diducit « usque ad cameram os ebrium » et incipit « Menecratis cantica lacerare » (73,3), dum « ceteri convivæ circa labrum manibus nexit » currunt magna voce clamantes (73,4). Videmus igitur in domo Trimalchionis variam fuisse copiam etiam privatim et peculiari ratione balneandi.

Ante imperatorum ætatem, qua cena Trimalchionis celebrata esse fingebatur, res publica Romana per quingentos fere annos libertate civium usa erat, a senatu populoque Romano ac magistratibus administrata. Illis temporibus Romani nequaquam pari luxuria in balneando assueti fuerant. Immo ter tantum aut quater in mense fusius se lavare consuerant, et quidem in angustis cellulis iuxta culinam sitis, ubi tantulum erat lucis, quantulum per rimas parietum admitti poterat. Aqua e culina arcesebatur, doliumque partim in terram infossum pyeli vice fungebatur. Tam modica fuerat ea quoque cellula, ubi Scipio Africanus quondam se lavare solitus erat, ut patet e quadam epistula Senecæ (86), qui vidisse se narrat « villam exstructam lapide quadrato » et « cisternam ædificiis ac viridibus subditam, quæ sufficere in usum vel exercitus posset », sed ibidem « balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua » ; in tali angulo sive blattario illum Carthaginis horrorem « corpus laboribus rusticis fessum » abluisse (86,4-8), ut ex eo sudorem, non unguentum detergeret (cf. 86,11). Recentioribus temporibus ne pauperrimos quidem impelli potuisse, ut sic se lavarent ; immo omnes Romanos varii generis luxuriam magni æstimare didicisse, quin etiam « eo deliciarum » pervenisse, « ut nisi gemmas calcare » nollent (86,7).

Secundo a.Chr.n. sæculo Romani ampliora et com-



Cena Trimalchionis talis, qualis excogitata est a Frederico Fellini in pellicula cinematographica cui titulus est « Satiricon » (1969).

modiora spatia balneandi instituere cœperant. Qua in re eos a Græcis varie doctos iam id ostendit, quod pleraque vocabulorum ad balnea pertinentium, inter alia ipsum substantivum *balneum* necnon *thermæ* sunt Græcæ originis : *balneum* < βαλανεῖον, *thermæ* (*sc.* *aqua*) < θερμὰ ὕδατα. Primum quidem erat curare, ut in novis balneis satis aquæ præsto esset. E veterrimis aquæductibus Romanis, quia sub viis ædificati erant, aqua tantummodo in talia balnea suppeditari poterat, quæ ab iis haud procul in imis tabulatis domuum locis humilibus sitarum constructa erant ; in editiora autem loca e puteis publicis aqua arcessenda erat. Ætate Augusti iam altiores aquæductus ædificabantur, eiusdem fere generis atque est celeberrimus ille aquæductus Nemausi prope integer conservatus, quem in pictura (p. 5) videmus. Quod ad spatia attinet, rusticæ et suburbanæ regiones initio aptiores esse videbantur ad commoda balnea instituenda quam ipsa urbs Roma ædificiorum multitudine stipata. Quædam rustica, ut ita dicam, balnea iam illis temporibus e trinis cellis constabant, ubi labra lapidea vel marmorea posita erant, atque insuper piscinis separatis et palæstris et sphæristeriis circumdabantur.

Ad calefacienda balnea primo *foculi* adhibebantur. Iam ante ætatem Augusti peculiaris ratio calefaciendi, *hypocaustis* nuncupata, excogitata erat : in fundamentis ædificii iaciendis bina pavimenta institui oportebat ita, ut superius eorum pilis passim dispositis et tegulis bipedalibus supra eas collocatis suspensum (cf. Vitr. 5,10,2) ab inferiore distingueretur, atque in spatium vacuum ita inter ea relictum, *hypocaustum* vocatum, per *præfurnium* fasciculi ramalium incensi intrudi possent ; itemque parietes e *tegulis mammatis* construi debebant, quo efficacius ii quoque simul cum pavimento ramalibus ardentibus calefierent et fumus evanesceret, necnon parietibus tubi imprimi, « per quos », ut ait Seneca (Epist. 90,25), « circumfundetur calor, qui ima simul ac summa foveret æqualiter ». Huius generis parietes, qui dicebantur *tubulati*, plerumque opere musivo aut marmore sternebantur.

Præter *balnea* privataram domuum etiam *balneæ* publicæ institui cepta sunt (cf. Varrro, Ling. Lat., 9,41,68). Has conductores privati imprimis ad usum hominum in vicinitate habitantium condebant, sed nonnumquam etiam aliis in eas aditus dabatur, si certam pro eo pecuniam solverant, quod *balneaticum* vocabatur. In imis tabulatis tabernarum collocatae illæ *balneæ* et calidariis et tepidariis et frigidariis instructæ erant. Præterea qui advenerant, balneo usi articulos suos peculiaribus tractatoribus malaxandos aut unguendos porrigere poterant. Multitudo talium balnearum




Hypocaustum in tepidario virorum (Pompeii in thermis Stabianis). Bene conspicuntur pilæ quæ constant e quadratis lateribus mortario coagmentatis.

continenter crescebat : ætate Augusti eas iam Romæ centum septuaginta fuisse tradit Plinius Maior, Nerone autem imperatore, ut idem addit, « ad infinitum auxere numerum » (Nat. hist. 36,24,121). In quadam forma urbis Romæ circa annum ducentesimum delineata, quæ *Forma Urbis Severiana* appellatur, complures balneæ in domibus privatis collocatae insunt. Denique prima parte quarti p.Chr.n. sæculi, Constantino imperium tenente, in urbe haud minus octingenta quinquaginta sex balneæ a privatis conductoribus curatæ exstabant, si indici ex illa ætate conservato fidem habere volvamus.

Revertamur ad ætatem Augusti, quæ eo quoque insignis fuerat, quod tum non modo *balneæ*, sed etiam *thermæ* ædificari, cœptæ erant, quarum sumptus publica pecunia curarentur. Veterrimas earum non Romæ, sed Pompeii et in quibusdam aliis oppidis Magnæ Græciæ fuisse constat, quo mores Græci maturius percrebruerant. Thermæ quæ vocabantur Stabianæ Pompeii primum iam quarto a.Chr.n. sæculo conditæ ducentis fere annis post aliquantum ampliatæ erant. Pompeii anno p.Chr.n. unde octogesimo eruptione Vesuvii deletis ruinæ earum sub cinere admodum bene conservatae sunt. Aditus in *thermas* patet e palæstra, quam ab uno latere piscina et a tribus reliquis porticus circumdant. Dextra primum in partem *thermarum* viris destinatam intramus ac per spatia præstolatoria in *apo-*

dyterium venimus, ubi subsellia et in pariete loculos ad vestimenta conservanda aptos videmus. Ex apodyterio in *frigidarium* forma rotundum transimus, ibique *baptisterium* aspicimus, id est amplum labrum, ubi aqua frigida præsto erat, aut in *tepidarium*, quod conclave pro intermedio quodam loco fungebatur et e frigidario in *caldarium* et e caldario in frigidarium transeuntibus. Caldarium trans tepidarium situm duobus labris instructum erat, quorum in uno aqua calda, in altero frigida præsto erat. Qui se lavabant, oræ latiori labri insidere poterant. Lignei autem suggestus saunæ Finnicae peculiares deerant, nec fasciculus e ramulis arborum frondiferarum nexus (Finnice *vibta* sive *vasta*) usurpabatur. Pars septentrionalis thermarum feminis destinata symmetricam quandam figuram cum priore format : duo caldaria, muliebre et virile, inter se contigua erant, quo melius communis hypocausis ad utrumque calefaciendum adhiberi posset. Receptacula ænea aquæ supra hypocausim tria composita erant : unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigida-

Caldarium virorum, Pompeii in Thermis Fori.



rium, et ita collocata, ut, e tepidario in caldarium quantum aquæ caldæ exisset, tantundem influeret de frigidario in tepidarium eodem modo (cf. Vitr. 5,10,1). E caldario seminarum in tepidarium ac deinde in frigidarium advenimus, ubi tamen nullum est proprium baptisterium.

In Thermis Stabianis iam adumbratae sunt eædem construendi rationes, quæ in hodiernis sanitariis quæ dicuntur balneis construendis respiciuntur. In caldarium ingressi homines, ut primum sibi sudorem elicerant, in tepidarium recedebant ad hunc detergendum ; deinde ad sudationem repetendam in caldarium revertebantur. Inter sudandum sibi artus artibus affricabant et oleo unguebant - non autem sapone - ac ferreo quodam instrumento serrato, cui nomen erat *strigilis*, cutem destringebant et sordes abradebant et sudorem detergebant. Eadem ministeria multi servis peculiariibus præstanta mandabant. Tandem se satis purgatos esse sentientes per tepidarium in frigidarium transibant, ut in aquam frigidam se præcipitando circulatio nem sanguinis recrearent. Post hæc nonnulli in tabernis aut popinis, quæ thermis annexæ erant, aliquid sumebant. Alii in palæstra aut in sphæristero e.g. pila ludendo se reficere pergebant ; quin etiam, si volebant, omnia ab initio iterare poterant.

Anno a.Chr.n. octogesimo, præsidio militum Romanorum Pompeii collocato, alteræ ibi thermæ prope forum ædificatae sunt. Hæ Thermæ Fori, quæ vocabantur, structura Thermis Stabianis admodum similes tamen ob exiguitatem spatii, quod præsto erat, amplitudine iis cedebant et simpliciorem formam habebant. Palæstræ vice modica tantum area interna fungebatur. Eas una cum tribus puellis - Anna, Claudia, Maria, quarum prima e Finnia ad amicas suas Italas salutandas venit - et harum duce Carolo visitemus. In libris institutoriis *Ad Fontes* inscriptis illi quattuor expedite et fluenter, ut par est, inter se Latine sermocinantur. Omnia feliciter peraguntur, nisi quis forte pro incommodo id iudicaverit, quod Carolus puellas, quæ Pompeii circumvagatae sudore completæ sunt, nonnisi severè præmonendo impedit, quominus in parte thermarum viris destinata præcipites omnia vestimenta exuant.

Carolus : Quid est, puellæ ? Nonne hoc oppidum vos iam delectat ?

Maria : Immo valde delectat ; noli desperare, Carole ! Hic dies splendidus fuit !

Carolus : Si ita est, cur istic statis ? Venite, in amphitheatrum vos duco.

Claudia : At nos fessæ sumus. Currere non iam vale-

mus !

Carolus (ridens) : Festina lente - ita vero iam imperator Augustus dicebat.

Claudia : Num imperator Augustus lente festinabat, cum se lavare volebat ? Nunc ego me lavare volo !

Anna : Ita ego quoque. Cur vos in Italia nullam saunam habetis ?

Carolus : Saunam... Quid est sauna ?

Anna : Sauna est vocabulum Finnicum, quod thermas significat.

Carolus : Thermas ? Videte, puellæ : ecce Thermæ Fori ! Cur non intramus ?

(*Intrant in Theras Fori*).

Carolus : Locus, ubi nunc sumus, est apodyterium. Sed nolite hic vestes exuere ! Hæc pars thermarum non feminis destinata est !

Claudia : Tace, Carole !

Carolus : Immo non taceo, nam dux vester sum. Nunc in tepidarium intramus. Hic Pompeiani antiqui se lavabant.

Anna : Ubi sudabant Pompeiani antiqui ?

Carolus : Iuxta tepidarium est caldarium ; ibi sudabant.

Anna : Caldarium est igitur sicut sauna nostra.

Claudia : Ego iam nimium sudo. Ubi est frigidarium ?

Carolus (frigidarium monstrans) : Ecce frigidarium. At hoc frigidarium te vix recreat ; nam nulla iam aqua frigida hic est.

Prætero tertias thermas Pompeianas, imperatorum demum ætate ædificatas, quæ hodie Italice *Terme Centrali* appellantur. In posteriore parte acroasis meæ Romam transgressus de thermis ibi ædificatis disseram. ☐

(*Continuabitur*)

1. prior pars acroasis in Feriis Latinis Ferigole tensibus die 2 m. Aug. 2001 factæ.



Pons Vardonis, qui dicitur, prope Nemausum.

IOSEPHI MORABITO (1900-1997)

EPIGRAMMATA INEDITA

- quæ proposuit Theodoricus Sacré -

Natus est Iosephus Morabito Regii Iulii mense Ianuario anno 1900. Patruus episcopali dignitate conspicuus : apud quem cum adulescens carmen Francisci Sofia Alessio forte offendisset et legisset, amore Latinitatis eius nulla obscuritate offuscatae correptus alia recentiora requisivit. Paulo post cognovit Vitriolii carmina, quæ eum magis moverunt et de eis cum in studiorum universitate Neapolitana philologæ classicæ operam daret dissertationem conscripsit. Mox in gymnasiis publicis docere cœpit, quo se munere post annos amplius quadraginta abdicavit ; nihil eo professore acris si qua pericula humanioribus litteris ingruerent. Anno autem 1925 Alafridum Bartoli poëtam, quem diximus, primum convenit ; quo hortante Camenæ cultui sese dedidit ; eodem suadente fugiebat quicquid in rebus obscurum, quicquid tenebricosum, quicquid erat perplexum, quicquid in sermone minus aureum minusve integrum vel emendatum. Optimorum enim Latinitatis auctorum vestigiis esse ingrediendum sentiebat, ne periclitaretur perspicuitas.

Hæc summa lex ; qua lege et ipse Pascolus ab illo licet leviter reprehensus, quod sermo eius Latinus a perfecta illa et aurea specie aliquando deflecteret. Ceterum poëtae illi iuxta cum Alafrido Bartoli est æmulatus (nam Horatium, Catullum, Vergilium disputantes non semel fecit) ; ita vero est æmulatus ut versiculos sive integros sive leviter immutatos non exscriperit pro suisve vendiderit : nam si quis veteres recentioresve poetas hunc in modum imitatus erat, in similorum numerum auctore Morabito erat referendus. Nec solum antiquos ille cecinit viros, sed etiam versibus lyricis et satiricis, vel epigrammatis et elegis ad sua respexit tempora suæque vitæ adiuncta poëtice narravit ; suavissima sunt quæ ad adulescentes quos erudiebat spectant ; nec sine animi commotione legi potest carmen ineunte omnium gentium bello conditum quod inscribitur *Solitudo* (1940). Versus plerumque tersi atque elegantes. In certaminibus Latinis sæpiissime ei adiudicatae palmæ aut laudes. Carminum delectum ipse paravit : cui index *Latina Fides. Carmina, epistulæ, odæ, epigrammata selecta. Con versione italiana* (Mediolani, 1979). Alia permulta variis ac diversis in commentariis sunt divulgata. Ego quidem non dubito quin vir ille inter primarios huius ævi poëtas sit numerandus. Huc accedit quod luculentus erat solutæ orationis Latinæ artifex necnon litterarum Latinarum sæculi vicesimi historiographus sane bonus.

Viri vitam totam adumbravit, virtutes inscriptione egregia amplexus est Richardus Avallone, professor Salernitanus rude donatus idemque titulorum Latinorum conditor præstantissimus ; quæ inscriptio in atrio

lycei Mauroliciani, quod est in urbe Messana, legitur (vide p. 7).



1. Ad Iosephum IJsewijn (1962)¹

Id memor at teneas, Manzoni esse ante legendos
Sponsos, ne tempus, candide amice, teras.

2. Ad Theodoricum Sacré (1994)²

Accipe, amice, diu quod frustra aliunde petisti :
hinc tibi servator iure vocandus ero.

3. Ad Theodoricum Sacré (1995)³

Quæ tibi lingua patrum merito iucunda probatur,
tam procul hanc ortus non lego, Dirke, tuam.
Uttere tu sapiens illa multique beentur
iure tui cives ; nunc tibi asellus adest :
viderat ille harpam, ignarus temptavit eaque
reiecta incepsum continuavit iter.
Grates mæstus ago. Pressit me longa senecta,
docta et opella iacet corpus inane. Vale.

Bibliographia selecta : C. Caruso, *La poesia latina di Giuseppe Morabito* (Avolæ, 1929) ; D. Condoleo, *Giuseppe Morabito poeta e prosatore latino* (Bergomi, 1956) ; Id., *Poeti contemporanei latini. Francesco Sofia Alessio. Giuseppe Morabito* (Bergomi, [1967]) ; C. Pavanetto, 'Iosephus Morabito Romani sermonis cultor eximius', *Latinitas*, 39 (1991), 74 ; D. Sacré, 'Drie hedendaagse dichters en hun Latijn', *Hermeneus*, 65 (1993), 125-130 (pp. 125-127) ; F. Celesti, 'Giuseppe Morabito : un grande mæstro profondamente religioso', *La scintilla*, 2.XI.1997, 3 ; Id., *Giuseppe Morabito (orazione tenuta il 14 ottobre 1997 nella Chiesa ss. Salvatore in Messina)*, I quaderni dell'ASIS (Messanæ, 1997) ; D.P. Guarneri, 'Ad Iosephum Morabito qui Bartoli magistro, iuvenis, usus est', *Latinitas*, 45 (1997), 340 ; H.A. Bologna, 'Iosephus Morabito a nobis discessit', *ibid.*, 265-267 ; P. Ferraloro, 'De Iosepho Morabito brevis commemoratio', *ibid.*, 48 (2000), 238-239 ; V. Fera & E. Morabito (edd.), *Esiliato nell'inumano Novecento. Testimonianze per Giuseppe Morabito* (Messanæ, 2000)

AB OBLIVIONE VINDICENTVR

(continet i.a. V. Fera, 'La formazione di Morabito', pp. 7-25 ; M. Presti, 'Bibliografia di Giuseppe Morabito', pp. 79-150 ; V. Fera, 'Nuovi carmi di Morabito', pp. 151-169). Exeunte anno 2000 Messanæ in studiorum universitate in tanti poëtæ honorem habitus est conventus doctus, cuius Acta prelo parantur ; qua occasione numerus in tanti viri honorem est excusus.

1. Cum ei libellum in Certamine Capitolino (1962) altero ornatum præmio mitteret, qui inscribitur *Brevis in lacu Lario mansio* (Romæ, 1962).
2. Cum ad me mitteret carmen Stephani Bezdechi, c.t. *Ad bis millesimos Horati natales* (Napocæ, 1936).
3. Cum commentatiunculam nescio quam Nederlandice exaratam legere frustra esset conatus.

IOSEPHO MORABITO
MAXIMO POST IOANNEM PASCOLI HUMANISTÆ
QVI
VII ID. IAN. A. MCM REGII IVLII NATVS
MESSANÆ IV ID. OCT. A. MCMXCVII
CENTESIMVM FERE ANNVM AGENS FVNESTA MORTE ABREPTVS
VIR INTEGRÆ ATQVE SEVERVS
MAGNO INGENIO AC PRÆSTANTI DOCTRINA ORNATVS
MESSANÆ IN TAM AMATA PATRIA ADOPTIVA
QVADRAGINTA ANNOS HOC IN INCLYTO LYCEO PROFESSOR
LATINAS GRÆCASQVE LITTERAS DOCVIT
IVVENES AD FONTEM LATINITATIS INDVCENS
PLVRIMA ET ITALICE ET LATINE OPERA SCRIPSIT
ORATIONES ET PŒMATA
BIS IN HŒVFTIANO TER IN CAPITOLINO DECIES IN VATICANO
CERTAMINE DISCEDENS VICTOR
IN CATVLLIANO ET PASCOLIANO AVREVM NVMMVM
VBIQVE ARGENTEOS NVMMOS VEL MAGNAS LAVDES
MERITVS
AD TANTI MAGISTRI ET SCRIPTORIS
SIGNIFERI ATQVE DEFENSORIS LATINITATIS
HUMANISMÆ NOSTRÆ ÆTATIS EMINENTISSIMI VATIS
PERENNEM MEMORIAM
CENTESIMO AB EO NATO INCIDENTE ANNO
LAPIDEM HVNC
COLLEGÆ DISCIPVLI AMICI
PP.

RICH. AVALLONE SCRIPSIT

DISCIPVLIS LINGVA LATINA NON COLEND^A EST, SED LINGVÆ LATINÆ DISCIPVLI !

- *scripsit Anna Elissa Radke -*

Primum¹ a sæculis mediævalibus usque ad sæculum undevicesimum discipuli didicerunt linguam Latinam utilitatis causa, ut fierent boni sacerdotes, iudices et ministri regum. Postea factum est, ut grammatici linguam Latinam imprimis hac de causa doceant, ut denuo grammatici producantur. Propterea necesse est tirones deligantur, ne grammatici sint quæstus inopes. Sic circulus vitiosus perfectus est !

Ergo lingua Latina est – horribile dictu ! - quasi « vitulus aureus », qui poscit sacrificia, nempe sanguinem iuuentutis, ut ipse alatur et vivat in æternum. Magistri et grammatici anguisimis similes custodiunt vigilanter thesaurum linguæ Latinæ, ne quid detrimenti capiat. Quis autem quærat, quantum detrimentum capiant discipuli, qui haud raro oderunt linguam Latinam, quam parentibus et magistris cogentibus nolentes discunt ? Si discipuli a prima pueritia consueti sunt verba legere et scribere, quæ sunt illis minimi momenti, de quorum significatione non cogitant, tunc adulti fortasse facilius subscriptentes facinora committent (Theodisce *Schreibtischträger*) : Sine ullo discriminine, sine ulla commotione animi discipuli solent magna voce coniungere et « neco, necas, necat, necamus, necatis, necant » et « amo, amas, amat, amamus, amatis, amant », nam utrumque verbum eodem modo declinantur. Nostris diebus discipuli plerumque exercent coniugationem secundum classem primam paradigmate « laudare » : est enim laus magistri discipulis maximi momenti, laus magistri, qui incipit curriculum hac sententia : « Dominus imperat, servus paret », ut discipuli discant non modo linguam Latinam sed etiam simul obedientiam in magistros, parentes et magistratus. Talis institutio mihi videtur esse abusus discipulorum (alium abusum taceo).

Equidem restituam artem docendi, quæ erit verus ludus, et magistri erunt veri ludi magistri.

Sæpe temporibus præteritis discipuli animadvertebunt ludum (vel scholam) non esse ludum vel otium sed laborem. Propterea magistri explicare conati sunt, cur in ludo ludere vetitum sit. Andreas Fritsch in libro cuius titulus est *Lateinsprechen im Unterricht* refert hunc dialogum a Johanne Ludovico Vives inventum :

PRÆCEPTOR : ... *Evigila, et nava sedulam operam ! Ito, sede cum tuis condiscipulis, et edisce, quæ præscripti !*

LUCIUS : *Non ludimus bodie ?*

ÆSCHINES : *Non, nam dies est operarius. Ebo, tu venisse te buc arbitraris lusum ? Non est bic ludendi locus, sed studendi.*

LUCIUS : *Cur ergo ludus nominatur ?*

ÆSCHINES : *Nominatur quidem ludus, sed litterarius,*

quia litteris est bic ludendum, alibi pila, trocho, talis, et Græce audivi appellari scholam, quasi otium, quod verum sit otium et animi quies ætatem in studiis agere.

Et Mathurinus Corderius in *Colloquiis scholasticis* :

BERNARDUS : *Salve, Claudi !*

CLAUDIUS : *Tu quoque salvus sis, Bernarde.*

BERNARDUS : *Ludamus paulisper !*

CLAUDIUS : *Quid ais, ineptule ? Vix scholam ingressus es et iam de ludo loqueris ?*

BERNARDUS : *Ne irascaris quæso.*

CLAUDIUS : *Non irascor.*

BERNARDUS : *Quid ergo sic exclamas ?*

CLAUDIUS : *Accuso tuam stultitiam.*

BERNARDUS : *Non licet igitur ludere ?*

CLAUDIUS : *Immo licet : At quum tempus est.*

BERNARDUS : *Vah tu nimium sapi.*



Ludi magister. Orlauni (v. Arlon) in museo archæologico.

Ego autem, ut vera ludi magistra, in paedotropheo inciperem (si daretur mihi venia) puerulos et puellulas ludentes linguam Latinam sine arte grammatica docere imitando, canendo, monstrando. Sequor vestigia avi mei Matthiae Meyer, qui anno 1921 scripsit librum, cuius titulus est *Pædagogisches Neuland*, nam erat ille auctor pædagogiæ reformatæ.

Ergo demonstrabo artem meam pædagogicam reformatam, qua doceo vel potius nutrio et educo infantes, quæ est quasi utopia pædagogica incipiens a ludis digitalibus :

*Lyram pulso pollice,
gusto cibos indice,
medius est maximus,
medioque proximus
medicus pænultimus,
ecce nanus minimus !*

Verbum *lyræ* est primum verbum Latinum (vel potius Græcum !), quod pueruli et puellulæ audiunt. Nam lyra est instrumentum musicum primum, quod discipuli classis primæ scholæ Waldorfianæ modulari discunt. Quod instrumentum commonefacit puerulos orbium cælestium, quia pueri mundo spiritali proximi esse videntur neandum obsurduerunt.

Sic a prima hora ludi et instructionis iam præparo lectionem Somnii Scipionis Ciceroniani.

Primum, quod pueri sui consciæ faciunt, est « pulsare » nervos lyræ digito potentissimo suo (= pollice). Tactu et auditu simul recipiunt mundum obiectum et eum tractant. Pueri se subiectos et simul obiectos esse sentiunt : inde incipit ars grammatica : non intellectu, sed manibus et auribus, quid sit subiectum et obiectum, experiuntur.

« *Lyram pulso pollice* » : nomen *pollicis* deductum est a « *pollo* », « *potens sum* ». Quod discipuli primum sentiunt, est hoc : « *ego valida sum, ego sum auxtrix potens, bona discipula sum !* »

« *Gusto cibos indice* » : pueri puellæque mundum gustant et quasi manducant et devorant, mundo vel rebus obiectis afficiuntur. Cibus est primum obiectum, quod infantes percipiunt. Hac in sententia quasi in nuce involuta est tota philosophia. Hoc modo semina philosophiae insero iam infantibus, ut fortasse in classi duodecima floreant. (Sic et de indice disserere possem, sed timeo, ne sit nimis difficile intellectu auditoribus, qui sententias scriptas et ante oculos positas perlegere solent.)

« *Medius est maximus* » : hac sententia instructi discipuli primordia doctrinæ mathematicæ discunt. Hæc imago manus et digitorum iterum occurret discipulis in opere Platonis *Politeia*. Tunc fortasse meminerint huius carminis puerilis et intellegent eam primam horam institutoriam mathematicam fuisse.

« *Medioque proximus* » : etiam hæc sunt nomina mathematica, sed non modo mathematica, sed « *proximus* » est etiam nomen theologicum : nam interrogavit quidam scriba Iesum : « *Quis est proximus meus ?* » - Ut digitus maximus stat iuxta digitum minorem, sic hominis validioris est invalidiorem adiuvare, ut docent et lex humanitatis et doctrina Christiana.

« *Medicus pænultimus* » : digitus vocatur « medi-

cus », quia anulum gerit gemmis ornatum, qui morbos sanare potest, ut credebant veteres. Etiam nostris temporibus scientia medicinæ antiquæ reviviscit et sunt medici, qui secundum sapientiam antiquam sed diu neglectam curare studeant. « *Pænultimus* » quoque nomen mathematicum est, cum pueri digitos enumerare incipiunt, simul demonstrant seriem numerorum, per ludos digitales numerare discunt.

« *Ecce nanus minimus* » : digitus ultimus et minimus est digitus puerulus simillimus. Ad eum spectant omnes, ille fovetur, curatur et diligitur, ut parvuli a parentibus et magistris. Laudo verbum evangelii (secundum Matthæum, 18,2 sqq.) « *Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum... quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno cælorum.* » Et laudo quoque verbum, quod exclamavit Pilatus : « *Ecce homo !* »

Alterum carmen ex decem carminibus digitorum excerpti « De indice » :

Index demonstrat :
Monstro nigrum hominem,
rubicundam virginem
candidumque iuvenem,
gilvam pulchritudinem :
fecit Deus ordinem
ad suam imaginem.

Quo carmine iam a prima pueritia inimicitiam gentium superare conor.

Quia digitus index etiam appellatur Gustator, canam cum infantibus hoc carmen :

Gustator
Mella gusto dulcia,
mala nimis acria,
sales et acerbas
salutares herbas.
*

Pultem probo calidam
Glaciemque frigidam.
*

Seratur porta garrula
Custodia tacitula.

Digitus gustator ori puellulæ affert dulcia, acria, salsa, acerba, calida et frigida et claudit os, quod non modo labris et lingua cibos gustare potest, sed etiam loqui et garrire. Digitus est quasi clavis vel sera, quæ os claudit. Nam pueris præter loquela et silentium

QVÆSTIONES HODIERNÆ

exercendum est. Quod silentium nonnumquam diffici-
lius effici potest quam loquela.

Post exempla ludorum infantium data progrediar ad
institutionem discipulorum a classe septima usque ad
classem duodecimam.

*O veni, formose geni Latine,
persona mentes agitaque corda,
Vergili Flaccique, Ovidi patronē,
blande magister !*

Hac appellatione genii Latini incipio docere lin-
guam Latinam. Etsi quæstio non persoluta est, utrum
genius linguæ Latinae adhuc existat et vivat an mor-
tuus sit, euidem genium linguæ Latinae appellare
consuevi et ille fortasse appellatione et invocatione ipsa
reviviscit.

Quis sit genius linguæ Latinae, quidam vestrum
quærant ? Est vis verborum Latinorum, vis carminum,
vis orationum, vis fabularum, vis commentariorum et
vis historiarum, quæ et nostris temporibus mentes per-
sonat et corda agitat. Est idem genius, qui docebat et
tuebatur Vergilium, Horatium et Ovidium poetas cele-
berrimos Romanos.

Cuius patroni nos sumus clientes : sive ludi magis-
tri sive grammatici, sive tirones sive quasi veterani.
Nam genius ipse et nos et discipulos nostros docebit
blande : est enim ille nec plagosus magister nec baculo
severe regit, sed blanda laude adhortari solet.

Sed ille genius non modo blandus magister est, sed
etiam appellatur formosus, quod verbum habet dupli-
cem vim : primum formosus genius est genius pulcher,
venustus et speciosus, deinde genius formosus est
multiformis propter varietatem declinationum et
conjugationum verborum.

Cum igitur appellamus genium, ut ad nos veniat,
optamus, ut nos totos, non solum intellectum nostrum
sed etiam sensus, mentes et corda gubernet et ducat ad
veram humanitatem.

Hoc carmen igitur una cum discipulis in pede stan-
tibus recitare solebam, antequam horam institutoriam
coepi :

*O veni, formose geni Latine,
persona mentes agitaque corda,
Vergili Flaccique Ovidi patronē,
blande magister !*

Pergam ad textus, quos ad incitandos discipulos
scripsi, qui simul scientiam et rerum antiquarum et
linguæ Latinae et humanitatem ageant et demonstrent

amorem magistræ erga discipulos discipulasque.

Afferam dialogum inter magistram et discipulam,
qui gradus instructionis describit :

*Magistra : Quid dabis, si te docebo
Latinam grammaticam ?*

*Discipula : Marcas dabo bis vicinas
Pro instructionibus.*

*Magistra : Quid dabis, si te docebo
Linguam vividissimam ?*

*Discipula : Duas tructas vivas dabo,
Quas cepi barundine.*

*Magistra : Quid dabis, si te docebo
Carmina perennia ?*

*Discipula : mella dabo, quæ legerunt
Apes meæ sedulæ.*

*Magistra : Quid dabis, si te docebo
Scripta sapientium ?*

*Discipula : Dabo gratiam et fidem
Et tui memoriam.*

*Magistra : Quid dabis, si te docebo
Verba evangelii ?*

*Discipula : Totam vitam meam summo
Commendabo domino.*

Quæ colloquia de doctrina magistræ instituo, ut
intellegant discipuli magistram esse hominem et femi-
nam vivam nec programma didacticum computatorium,
quæ non modo docet grammaticam, sed etiam demons-
trat viam, qua discipuli progrediantur ad vitam vere
humanam.

Cum autem de vita auctorum veterum mihi narran-
dum est secundum leges curriculi, id non infacete
facio, sed scripsi e.g. « accessum ad Ovidium » (ut
magistri mediævales docere solebant) :

*Naso noster erat natus
Et a patre vix sublatus,-
Accurrit materterarum
Turba, levium Musarum.*

*Musæ nutririunt Nasonem,
Pater mavult Scipionem :
« Disce, inquit, ius ut civis ! »
puer dixit : « Conor, si vis ! »*

*Sed puellæ erant multæ,
Omnes doctæ, nec incultæ,
Docent iura iuuentutis :
Ludos, artes nec virtutes !*

QVÆSTIONES HODIERNÆ

*Et matronæ cothurnatae
Favent illi vetustatæ :
Ut Penelope, Medea,
Dido, Phædra et Ledæa.*

*« Et pro nobis scribe ! » flamen
rogat, Naso spondet : « Amen ! »
opus autem tam molestum
linquit, agit diem festum.*

*Amat et natura vatem,
Omnem dat varietatem :
Arbores, armenta, aves,
Omnium formarum claves.*

*Væ, vicisti, Invidia :
« Extrema in provincia
remedia sint exuli,
tu quoque, Naso, procul i ! »*

*Carmen divi citharistæ
Discit Naso, carmen triste,
canens cycnus moritur,
Phœbus rursum oritur.*

Et de Ennio poëta discipulis narrabam, cum discipulis quædam quæsivisset, num esset nomen Latinum aptum equo suo et quod inciperet a littera « E » :

Ad Cordulam Amazonem

*Ennius, ille poëta, suum, mea Cordula, nomen
Sponte dedisset equo : proavi veteris memor esto
Et podagri senis atque bibacis et ingeniosi-
Terribilique tubæ sonitu tarantara dixit-
Scipiadum socii, modo mirus solivagique,
Cuius opus periiit, numerosaque carmina desunt.
Nunc age, quadrupedans, gere nomen honore superbus,
ungula, ter quate corda hominum immemoresque poëtæ.*

Et alterum carmen de equis composui, quia nostris temporibus puellæ ante alia animalia amant equos. Et fortasse, si legent carmen de equo amato, tunc etiam lingua Latinam amabunt.

Ad C.S. quæ lectioni Latinæ non interfuit, quia equus eius morbo quodam affectus erat.

*Cur, Carolina Amazon,
dic mibi, cur sit tibi equus maxima cura amorque ?
Cur stabuli laborem*

*Artibus præfers studiis dedita nunc equinis ?
Esse tuum adiuvare
Semper et servare animal quadrupedemque amicum,
et medicos vocare, ut
ungulam claudam inspiciant invaliditudesque ?*

*Te duce equus valescat,
Te feret cursu rapido per nemora atque campos !
O eques erudita,
forte nutrita es ut equæ lacte prius Camilla.*

*Est equus et Medusæ,
Pegasus, qui te, Carolina, evebet ex arena
Pennigeris ad astra
Versibus vatum veterum perque latitudinem !*

Hæc carmina scripsi pro discipulis iunioribus. Pro discipulis provectioribus in discendo et intellegendō composui quædam spectacula secundum morem Jesuitarum et Protestantium, qui a s. XVI. theatrum scholare coluerunt, ut discipuli non modo Latine scriberent et recitarent, sed toto corpore agerent. Quibus spectaculis animæ iuuentutis purgantur et ad vitam veram et ad cælum ducuntur. Si simul et vitam sanctorum imitantur et linguam Latinam exercent : eo melius !

Dialogus meus De Hyacintho Polono actus est a participibus seminarii LVPÆ anno MM in Lapide Magno, oppido in Silesia sito, ubi Hyacinthus natus est circiter anno MCC. Ibi adhuc est sanctuarium eius, quod frequentatur a peregrinis et Germanis et Polonis.

Quo ex dialogo excerpti partem, quæ continet et homiliam Sancti Hyacinthi ante cives Kiovenses habitan et responsum contionis fidelium :

HYACINTHVS

*« Ad me venite, nam iugum meum leve est ! »
Sic nos vocavit Christus ad crucem suam.
Dilige Christum, vestrum amate proximum
Dilige et hostes, sicut Christus imperat.
Egentibusque largiter pecuniam
Donate, adeste morbidis et infimis.
Aspice signum matris atque filii,
Maternum amorem, filium qui sustulit.
Sic efferet vos mortis e periculo
Matre adiuvante nostra qui factus salus.*

CONTIO FIDELIUM

(cantat versionem Latinam cantici Angeli Silesii « Mir nach, spricht Christus.. » GL 616, EG 385)
« Me pone, Christus imperat,

QVÆSTIONES HODIERNÆ

sequimini, fideles !
Qui se mundumque abnegat,
is meus fit satelles.
Vestram accipite crucem,
me imitamini ducem !

Ego sum lux, sit prælucens
Virtus, Deo sacratos
Ad me vos omnes adducens
Nec malis obscuratos.
Sum via recta ad vitam
Ferens Deoque deditam.

Si vobis est difficile
Factu, antecedendo
Parabo iter facile,
pugnabo appetendo.
Væ servo nequam, qui berum
Non sequitur belligerum !

Se vitam suam sine me
Qui putat invenisse,
inveniet hanc minime,
sed scito perdidisse.
Ni tollet crucem me sequens,
Is erit gratia egens. »

Nunc Dominum carissimum
Cum crucibus sequamur,
Laborem et durissimum
Libenter patiamur.
Nec ullus coronabitur,
Nisi qui pugnans moritur.

Discipuli dialogum de sancto Hyacintho Polono
agentes discunt imitatione virtutes sanctorum.
Propterea hic dialogus idoneus est ad agendum disci-
pulis iunioribus. Sed composui alterum spectaculum,
tragediam « Orphis », quæ diffcilior est intellectu.
Demonstratur enim lucta veritatis adversus mendacia
et vanitatem.

Fabula est hæc : Orpheus conatur Eurydicam e
Tartaro reducere in vitam. Quam fabulam mutavi tali
modo : Orphis (i.e. Orpheus femineus), quæ incolit
mundum veritatis, descendit in Tartarum, in mundum
mendaciorum, ubi Cinyras (i.e. Eurydice mascula)
sponte sua degit vitam vel potius mortem. Non est
Orphis retrospiciens causa redditus Cinyræ ad inferos,
sed liberum arbitrium hominis mendacis, qui amat
vanitatem plus quam veritatem.

CINYRAS
Est fortis ardor, fortior dilectio est :
Superare mortem veritate amor potest.
Mibi hic labor tamen est laboriosior,
quam possim in ævum talem amorem tollere.
Desiderabo semper hanc puellulam,
Myrrham venustam, filiam lepidissimam,
incestum amorem, lubricum et vanissimum.
Proserpina, oro, me redire in Tartarum
Dignare tandem, veritas est altior
Meis amoribus atque deliciis meis.

PROSERPINA
In Orcum abito, fruere lusibus tuis !

ORPHIS
Syringa, siste, ne, precor, reliqueris
Nec veritatem nec meam fiduciam !

CINYRAS / SYRINGA
Quid sit fides, ego nescio, quid sit veritas?
Sine veritate commode vixi prius.

Taliter discipulos admoneo, ut meditentur, quantum malum sit mendacium et quantum bonum veritas. Nam mihi videtur utilius esse exercere sententias de virtutibus et vitiis quam exercere sermonem cotidianum, quo fere numquam discipuli utentur. Cottidie autem illis decernendum est cuius partem sequantur, veritatis an mendacii.

Paucos ex multis textibus elegi, quos composui ad discipulos alendos, curandos, educandos, delectandos adhortandos et docendos. Utinam sint carmina et spectacula infantibus, adolescentibus et puellis viatica in itinere per mundum periculosum faciendo, ut olim adveniant in patriam æternam. Quod fiet lingua Latina adiuvante, quæ (ut Monica Balzert iocose dicere solet) magistra docente nil aliud est nisi « arida nutrix », quæ nutrit vel colit discipulos. ■■■

1. Oratio die 21 m. Aprilis Romae habita inter conventum c.t. « Musæ Latinæ sæculi xx : da Diego Vitrioli e Giovanni Pascoli ad oggi ».

EXERCITATIO LINGVÆ LATINÆ

- Iohannes Ludovicus Vives -

Cum in superioribus paginis actum sit de arte docendi
Catque, inter multa alia, de Iohanne Ludovico Vives¹,
iuvat aliquam paginam huius auctoris a pulvere bibliothecarum vindicare. Inter eius colloquia scholastica duas
paginas elegimus : in altera discipulus iocando discit
verba quæ pertinent ad partes corporis, in altera nomina
vestimentorum.

CORPVS HOMINIS EXTERIVS

*Durerius pictor², Grynæus, Velius**DUR.* Facessite hinc, nam vos nihil emitis, sat scio ; et
estis mihi impedimento, quominus accedant emptores
propius.*GRY.* Immo vero nos volumus emere, modo vel
preium relinquas nostro arbitratu, et tempus ipse
præscribas, aut contra, nos tempus, tu pretium.*DUR.* Bella negotiatio, mihi nihil est opus tricis eiusmodi.*GRY.* Cuius est hæc imago, et quanti indicas ?*DUR.* Imago est Scipionis Africani, et indico sestertiis
nummis quadringentis, aut non multo minoris.*GRY.* Quæso te, priusquam verbo uno eam addicas
nobis, examinemus artem picturæ ; et hic Velius est
sesquiphysicus, peritissimus humani corporis.*DUR.* Iam dudum intellego me a vobis intricari, sed
interea dum mercatores nulli adsunt, nugamini quantum libuerit.*GRY.* Nugas tu vocas peritiam artis tuæ ? quid faceres
alienæ ?*VEL.* Primum omnium verticem contexisti capillis mul-
tis, et planis, cum vertex dicatur quasi vortex, a ver-
tendis capillis, ut in flaviis videmus cum aqua se con-
volvit.*DUR.* Inepte non consideras eum esse male pexum
more illorum temporum ?*VEL.* Bregma habet inæqualiter deflexum.*DUR.* Acceperat vulnus miles ad Trebiam, cum servavit
patrem.*GRY.* Ubi tu id legisti ?*DUR.* In decadibus Titi Livii amissis.*VEL.* Tempora sunt nimis tumentia.*DUR.* Cava essent signum dementiæ.*VEL.* Occipitium vellem videre.*DUR.* Verte tabulam.*GRY.* Cur dixit Cato inter cetera oracula : Frons occipi-
tio prior est ?*DUR.* Quam estis fatui ! annon in quovis homine prius

cernis frontem, quam occiput ?

GRY. Quosdam prius video aversos quam adversos.*DUR.* Et ego libenter, ut tales emptores et milites.*VEL.* Cato sensit præsentiam domini potiorem esse ad
curationem rerum, quam absentiam ; ceterum cur
antias adeo longas ?*DUR.* Loqueris de his caproneis ?*VEL.* Etiam.*DUR.* Non habuerat multis mensibus tonsorem ad
manum, velut in Hispania.*VEL.* Glabellam³ hanc cur contra ipsius verbi etymon
fecisti hirtam ?*DUR.* Tu ipse vulsellis pilos detrahito.*VEL.* Et vibrissas extantes extra nares ? sed tu, quæ
tua est versutia, culpam abs te reiicies in tonsorem.*DUR.* Inscie non animadvertis eos fuisse ætatis illius
mores, severos, tristes, rusticanos ?*VEL.* Imperite non legisti Scipionem hunc ex omnibus
sui temporis hominibus excultissimum et politissimum
fuisse, et amantem elegantiarum ?*DUR.* Expressus est cum exularet Linterni.*GRY.* Supercilium hoc est grande, et conveniens Latio :
cilium habet nimis cavum, et genas depresso.*DUR.* Ex vigiliis castrensisbus.*GRY.* Tu non solum es pictor, sed rhetor valde versatus
in translatione criminum.*DUR.* Et vos quantum intellego, in criminibus.*VEL.* Malas habet nimium tumentes, et buccas istas.*DUR.* Inflat classicum.*GRY.* Et tu inflabas calicem cum hæc pingeres.*VEL.* Immo vero utrem : sed alibi fecisti pilosum,
palpebras fere nullas appinxisti.*DUR.* Ex morbo illi deciderunt.*GRY.* Quo morbo ?*DUR.* Quære ab illius medico.*GRY.* Iamne intellegis ob tuam tantam imperitiam
detrahi debere de summa centum sestertios ?*DUR.* Immo ob vestras cavillationes et interrogations
adeo molestas, addi ducentos oportere.*VEL.* Pupulas habet hic glaucas, atqui ego audivi
cæruleas habuisse.*DUR.* Et ego cæsias, ut Minervam bellatricem.*VEL.* Hirquos⁴ fecisti nimium carnosos, et sinus
humentes.*DUR.* Flebat accusatus a Catone.*VEL.* Mandibulæ sunt nimis longæ, et barba densissima
ac profusissima, tum pilos dicas setas porcinas.*DUR.* Vos sine modo ullo estis loquaces, et argutuli
cavillatores : abite hinc ; nam tabulæ non fiet vobis
amplius copia.*VEL.* Amabo, mi Dureri, dum alios non habes licita-

tores, sine nos hic cavillari.

DUR. Qua mercede ?

VEL. Adscribemus ambo hic tibi singula disticha, quo tabula fiat vendibilior.

DUR. Nihil opus est meæ arti vestra commendatione, nam periti emptores, et picturæ intellegentes, non emunt versus, sed artificium.

VEL. Sed nares habet nimium patulas.

DUR. Erat iratus accusatoribus.

VEL. Non videmus valleculam⁵.

DUR. Latet sub barba ; ac ne mentum quidem cernitis, neque anthereonem.

GRY. Horum omnium fecisti tu compendium beneficio grandis barbæ.

VEL. Collum placet mihi rectum, et masculosum, item iuguli.

DUR. Gratulandum est superis, quod tibi aliquid probatur.

VEL. At ne nihil in hoc quoque desiderem, iugulos non habet satis cavos, quod in Socrate Physiognomon annotatum tardi esse ingenii signum pronuntiavit. Armos istos voluisse paulo erectiores et ampliores.

DUR. Non tam erat miles bellator, quam imperator.

Non audivisti apophthegma huius ? de quo cum milites quidam dicerent, non adeo eum esse valentem militem, ac imperatorem sapientem, is respondit : Imperatorem me genuit mater mea, non militem. Sed discedite si non estis empturi, nam video accedentes quosdam negotiatores publicanos.

VEL. Eamus deambulatum, et inter nos de humano colloquemur corpore sine Scipione, ac tabula : simus nasus non decet generosam faciem. (...)

SVRRECTIO MATVTINA

Beatrix puerilla, Emmanuel, Eusebius

BEAT. Iesus Christus exuscitet vos a somno vitiorum. Heus pueri estisne hodie evigilaturi ?

EUS. Nescio quid incidit mihi in oculos, ita videor eos habere plenos arenæ.

BEAT. Hæc est tua prima cantio matutina, et bene vetus : aperiam fenestras hasce ambas, ligneam et vietream, ut feriat clarum mane vestros amborum oculos. Surgite, surgite.

EUS. Tam multo mane ?

BEAT. Propior est meridies quam aurora. Vis tu Emmanuel recentem subculam ?

EMM. Nihil nunc est necesse, hæc est satis munda, cras

sumam alteram. Cedo mihi thoracem.

BEAT. Quem ? simplum, an diploidem ?

EMM. Quem voles, mea nihil refert. Porridge huc simplum, ut si sim hodie lusurus pila, minus graver.

BEAT. Hic est semper tuus mos : prius de lusu cogitas, quam de schola.

EMM. Quid tu dicis inepta ? et schola ipsa vocatur ludus.

BEAT. Ego non intellego vestras grammaticationes et sophismata.

EMM. Da ligulas astrictorias⁶ coriaceas.

BEAT. Fractæ sunt : accipe sericas, et sic iussit tuus paedagogus. Quid iam ? vin femoralia, et tibialia, quoniam est æstus ?

EMM. Minime vero, dato feminicruralia⁷ ; quæso constringe me.

BEAT. Quid, tu habes brachia fœnea, aut butyracea ?

EMM. Non, sed filo tenui consuta. Hui qualia dedisti mihi astrigmenta exarmata⁸, et lacera.

BEAT. Memineris te heri alea perdidisse integra.

EMM. Qui scis ?

BEAT. Ego per rimulam ostii observabam te cum Guzmanulo ludentem.

EMM. Amabo ne id paedagogus resciat.

BEAT. Immo ego narrabo, cum primum appellaris me deformem, ut soles.

EMM. Quid si rapacem ?

BEAT. Quidvis, modo ne deformem.

EMM. Cedo calceos.

BEAT. Utros ? Longo obstragulo, an brevi ?

EMM. Tectos propter lutum.

BEAT. Propter lutum aridum, quod alio nomine vocatur pulvis. Sed bene facis, nam in apertis cingulum est fractum, et fibula amissa.

EMM. Indue rogo.

BEAT. Tu ipse facito.

EMM. Non possum me flectere.

BEAT. Tu quidem facile te curvares, desidia vero tua difficile : an deglutisti ensem, ut circulator ille nudius quartus ? adeone es iam delicatus ? quid facies grandior ? (...) ☣

1. (1492-1540)

2. i.e. persona Alberti Dürer (1471-1528), qui fuit auctori æqualis.

3. intercillum sine pilis.

4. angulus oculi.

5. spatium concavum inter labrum inferius et mentum.

6. ad vestimenta stringenda.

7. caligae.

8. i.e. sine ferris.

DE CRVCE SIGNATIS

- *simplicissime narrat Francisca Deraedt* -

Anno 1096 Boamundus, princeps Tarenti, statuit iter facere ad Sanctum Sepulcrum et bellum gerere contra paganos. Hanc primam expeditionem cruciatam participavit vir quidam, cuius nomen nobis est ignotum, sed qui eventorum relationem reliquit sub titulo, qui est « *Gesta Francorum et aliorum Hierosolimitanorum* ». Haec narratio est valde pretiosa, cum data sit a teste oculari.

Auctor non solum accurate narrat quæ acta sint, sed commentariis suis etiam bene ostendit qualem Muslimorum imaginem Christiani illius temporis animo conceperint. Imprimis patet odium erga infideles, qui in hoc opere simpliciter vocantur pagani et putantur esse idololatræ. Religiosus enthusiasmus multimodis exprimitur. Christiani in pugna occisi habentur pro martyribus, cum Turci interfici animam reddant diabolo eiusque angelis. Ut æquales sui, Anonymus (si eum sic vocare licet) iustas putat et sine commotione animi narrat strages maxime horribiles, decollationem captivorum Turcorum, violationem sepulcrorum Muslimorum, cædem mulierum puerorumque. Præterea, cum sit eques, egregia facta admirari scit, etiam Turcorum, quorum laudat virtutem. Aliquo loco etiam dicit Turcos, si essent Christiani, primos equites futuros fuisse totius orbis terrarum. Quæ omnia legentes re vera tangimur sinceritate et simplicitate, qua auctor cogitationes et curas et præjudicia sua patefacit.

Inter ea, quæ Anonymus crucesignatis hostibusque eorum accidisse narrat, hoc elegimus vobis offerendum¹. Certe dialogus, quem lecturi estis, similior est fabulæ quam historicæ narrationi ; sed res est singularis. Textum contraxi et adaptavi ; longe enim abest ut Latinitas Anonymi sit exemplum classicæ grammaticæ...


Erat in illis regionibus princeps militiæ sultani Turci, Curbaram nomine, qui magnum exercitum iam collegerat. Idem, cum licentiam Christianos occidendi accepisset a calipha, in animo habebat auxilium ferre Antiochenis, quorum urbs a Christianis obsidebatur. Eadem occasione ipse urbem erat capturus.

Mater autem illius Curbaram eum adiit interrogans : « Fili, suntne vera quæ audivi ? » Tum filius : « Quid audivisti ? » « Audivi, ait mater, te bellum committere velle cum Francis. » « Verum est », Curbaram respondit. Mater omnimodo conata est filium deterrere ab hoc proposito : hostes certe pauciores esse et debiliores, sed Christianorum Deum eos amare et defendere, illum autem deum esse omnipotentem, maximum fore damnum, ultiōnem fore terribilem.

Curbaram eam rogavit unde hæc omnia sciret. « Fili carissime, respondit mater, gens Christiana nos

impugnabit, nos devincet, nos subiget. Hoc ante plus centum annos inventum est in Corano nostro, hoc itidem ipsa inveni in astris, planetis et innumeris sortibus a me scrutatis. Itaque de te plurimum timeo. » Tum Curbaram, satis ironice : « Boamundus et Tancredus, inquit, non sunt dei et Francos non liberabunt propterea quod duo milia vaccarum et quattuor milia porcorum comedunt in unoquoque prandio ! » Sed mater : « Boamundus et Tancredus mortales sunt, sicut alii omnes, sed amantur a Deo suo, qui fecit cælum et terram et fundavit maria et omnia quæ in eis sunt², et qui est omnipotens. » Quibus verbis Curbaram respondit se ea de causa cum Christianis acerrime certaturum esse. Mater tristis recessit.

Ergo pugna acta est ante portas urbis Antiochiæ, quam Franci obsidebant. Fuit magna clades. Multi Christiani occisi sunt, alii valuerunt urbem intrare, nonnulli fugientes cucurrerunt ad naves et a Turcis trucidati sunt cum vela dare conarentur. Interea ei, qui penetrare valuerant, simul et obsidentes et obsessi, diu et difficulter restiterunt, fame, incendiis et impugnationibus pressi, usque dum Turcos fugaverunt. « Istan, scribit Anonymus, et multas anxietates ac angustias, quas nominare nequeo, passi sumus pro Christi nomine et Sancti Sepulcri via deliberanda³. » ☒



1. Secundum Gestorum capitulum 22, in : *Histoire anonyme de la première croisade*, éditée et traduite par L. BREHIER, Paris, Les Belles Lettres, 1964.

2. Exodus XX, II.

3. i.e. liberanda.

LATINE CANVNT

- *Anna Elissa Radke & Vinfridus Czapiewski* -

DE PVGNA CONTRA TERRORISMVM
(cf. Hor.c.i, 37)

Pepigit Anna Elissa Radke

Rursus minatur nunc Capitolio
Fatale monstrum, perniciosius
Quam femina audax et superba
Illa, odiosa Quiritibusque.

Nostris diebus surgit aranea :
Totum per orbem nectere retia
Iam cogitat cæco furore
Inficere et iuvenes fidentes.

Mittatur, oro, nunc iterum novus
Ad Troiam Achilles,¹ qui superet metum,
Quo torpet urbs, torpetque vicus,
Undique quo trepidantque gentes.

Venatur alter accipiter celer :
captabit hostes unguibus æneis,
falsos sacerdotes repellat,-
adiuvet et Deus ille pacis !

DE IMPETV TERRORISTICO TRIA
CHRONOGRAMMATA


Pepigit Vinfridus Czapiewski

TERRORIsMVs
IN ERRORE RELIGIOSO ORTVs
ATQVE
CRVDELITER PERACTVs
SAECVLO NOSTRO
VBIQVE GRASSATVR.

TERRORIsMO TERRITVs
ORO VT
DECRESCAT VIOLENTIA
ATQVE
CRESCAT IVSTITIA
FIAT PAX
SIT QVIIES NOBIS.

TERRIBILE BELLVM
IN VNIVERSO
INSTAT.
DEFENSIO LIBERTATIS
ATQVE PACIS
NEC VLTIO
REQVIRVNTVR.

i. Cf. Verg. Ecl.IV,36



In hoc fasciculo !

De novo instituto Latino [T. Tunberg] p. 1

De balneis et thermis Romanorum antiquorum [E. Palmén] p. 2

Iosephi Morabito epigrammata inedita [Th. Sacrè] p. 6

Discipulis lingua Latina non colenda est, sed linguæ Latinæ discipuli [A.E. Radke] p. 8

Exercitatio linguæ Latinæ [I.L. Vives] p. 13

De crucesignatis [F. Deraedt] p. 15

Musa Latina [A.E. Radke, V. Czapiewski] p. 16



LATINE LOQVI...

CIRCVLVS LATINVS PANORMITANVS

Hodie gaudium magnum nuntiare mihi licet, Circulum Latinum Panormitanum tandem aliquando conditum esse eiusque sedem interretiale sub inscriptione : <http://www.cirlapa.org/> iam omnibus patere. Quam si visitaveritis, e pagina quæ inscribitur CIRCVLVS comprietis cur sodalitas nostra condita sit quidque moliamur. ¶ Duo sunt in sede nostra, ni fallimur, prorsus nova : EPISTVLARVM COMMERCIVM, id est pagina in qua suam quisque electronicam inscriptionem ponat (patefactis nomine sexu ætate præcipuisque oblectamentis) ad epistularum commercia cum Latinitatis cultoribus ineunda, et LOCVTORIVM, instrumentum quo absentes computatri ope tamquam cum præsentibus colloquamus : quod instrumentum alibi hominum stultitiam alere et quasi quodammodo fovere videmus, nos hic conamur ad lucrum revocare Latinitatis. Locutorium tamen, quod nondum a viris peritis Latine ut iussaramus constructum est, non patebit nisi post paucas hebdomades. Non desunt præterea RES AGENDÆ, SCRIPTA, LIBRI SELECTI, NEXVS, INQVISITIO, EVENTA, QVÆSTIONES aliaque nonnulla. ¶ Vos ergo rogo ut sedem hanc invisis et inceptum nostrum benigno favore prosequamini. Postquam inspexeritis, ALBVM HOSPITVM sub-signare vobis licebit aut ad circulum ipsum scribere (sub inscriptione hac : circulus@cirlapa.org), ut e vobis comperiamus quid de incepto nostro senseritis. ¶ Gratiis actis vos omnes valere iubet Georgius Di Maria, CLP moderator. ¶ Excerptum ex pagina c.t. CIRCVLVS : « Quod diu in votis fuit, quod plures spe numquam deficienti ominati sunt, optaverunt, cupiverunt, est ad effectum tandem aliquando deductum : ab audaci iuvenum manu conditus est circulus Latinus Panormitanus, quem in hoc Latine loquentium firmamento, splendidissimis luminibus iam collustrato, haud illucidum fore sidus speramus.

De circuli nostri propositis per primam congregationem rettulit Lucas noster : Latinitatis fontes in primis colere volumus et Latine exerceri, at non eo modo qui in scholis nostris longe prævalere videtur. Tales exercitationes non habebimus quales scholarum discipuli, qui lexicis nisi et grammaticis libris Latinorum scriptorum fragmentula in Italicum solummodo sermonem vertere conantur, sed vividiore procedemus modo. Linguæ Latinæ usus in sessionibus nostris proponetur, quo gradatim adducamur ad sensus nostros verbis Latinis scriptive exprimendos. Participes circuli statutis intervallis in sede nostra congregabimur, Latine colloquemur, ludemus, cenabimus, peregrinabimus, nec umquam inter nos vigebunt linguæ vernaculae. Sede nostra interretiali scripta brevia vulgabimus quæ nonnullius sint momenti, ut speramus, nec umquam artis rhetoricae sint exercitationes in aurium solummodo delectamentum conscriptæ. Vivo præterea linguæ Latinæ usui vulgando favebimus ut inter gentes incepta et aliena et nostra quam latissime innotescant. Nec urbis nostræ incolis advenisque, si qui forte sese huc contulerint, occasiones deesse volumus Latine loquendi et civilem cultum experiendi quem mirabilis Romanorum sermo per saecula innumera in omnes orbis terrarum partes propagavit. Acroases indicemus, colloquia feriasque quibus a grammaticis exercitationibus ad totius Latinitatis cultum pro modulo nostro percipendum gradatim adducamur. Humanitas hic semper vigeat, iurgia vero maligna, lites, simultates, superbia, vitia omnia procul sunto a nobis. Suam quisque modeste navato operam ut amicitiae novæ - quales Latina lingua alere solet - inter nos et cum aliis Latinitatis cultoribus orientur, fermentur, vigeant in ævum. Vos vero omnes valeatis lætemini floreatis quam diutissime ! »